

Connectitur hic versus potius cum versu undecimo, quam cum præcedenti, ceu in paraphrasi ostendimus. Cum enim in illo utilem sibi fuisse in vinculis Onesimum dixisset, ne perfunctoria utilitatis descriptio minus habere ad commendationem efficaciam videretur, tantopere fidem illum sibi & sedulitatem probasse nunc asseverat, ut si per Philemonem licuisset, ex ministerio suo eum dimisisset nunquam. Alii occupationem esse putant, quæ respondeatur ad tacitam Philemonis objectionem, si tam tibi charus, tam utilis, cur tam cito remittis? Sed prius illud offensioni minus obnoxium est. Quæritur, quo pacto obligatus fuerit Onesimus, ex tanto locorum spatio inservire necessitatibus Pauli, ut ejus locum Onesimus debuerit potueritque supplere? Plerique respondent, debuisse Philemonem Paulo ministerium, ut discipulum Magistro. Ita jam ex antiquis *Theodoretus*. Sed quantumlibet discipulus Doctore suo & reverentiam & obsequium debeat, nemo tamen facile dicturus est, teneri eundem ad ordinaria ministeria, etiam in captivitate, etiam ex longinquo terrarum spatio, Præceptori præstanda. Alii dicunt, debuisse ut Apostolo. Quod quidem minus dubitationi obnoxium est, cum ad plantandi Evangelii ministeria vocare Apostoli citra controversiam, quoscunque collibuisse, potuerint. Rectius tamen me judice *Grotius*: *ὡς ὅτι ἐπὶ σὺ διακονῆ μοι*, ut mihi præstet, quæ tu, si hic esses, præstiturus mihi omnia esses. Ut non tam respiciat id, quod jure deberet Philemon, quam quod motu proprio liberaliter, si Romæ foret, facturus esset.

§. XIV. vers. 14. Credoque Te, id si fecissem, non refragaturum fuisse; tamen sine expressa sententia tua & consensu nihil facere volui, ne vel quasi ex necessitate esset beneficium tuum, sed ex spontaneo motu.

Non sine *ὡς* adjecta particula: *ὡς*, quasi, est. Ex quasi enim necessitate Onesimum cessisset Paulo Philemon, si vel suspicari alii ex quacunque probabili ratione potuissent,  
D eun-